

## **Cartulaire manceau de Marmoutier, Tome Second, Mayenne, Nr. 8**

Notum sit omnibus hec legentibus quod Haraudus de Ambreriis calumniabatur tempore Gauterii de Meduana monachis Sancti Martini de Meduana duas terre particulas sitas ante portam supradicti a parte orientis dextrorum vie et sinistrorum, que per tria possunt arari jugera, et unam prati plateam eidem terre contiguam. Quam terram et quod pratum dedit ei pater ejus Hugo quando dedit ei uxorem. Arraldus autem dotavit uxorem suam ex ea testibus Britello et Hugone Boverio de Ambreriis, concessu omnium fratrum suorum. Hanc igitur terram concessit Araldus et Aberia, uxor ejus, et Odo, filius amborum, et frater ejus Guillelmus, monachis supradictis pro beneficio Majoris monasterii et pro duodecim cenomannensium solidis quos a priore Briencio monacho accepit, qui tunc locum illum colebat. Hec peracta sunt apud Ambrerias in porticu Britelli, testibus istis Hamelino Flamenc, Britello, Hugone Boverio, Cristiano monacho, Briencio monacho, Herveo sacerdote de Meduana. Arraldus vero dedit se et sua omnia sancto Martino et monachis post ejus obitum.